

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 90

Nosse debetis, si qui eritis posteri nostri Maioris scilicet huius habitatores Monasterii sancti Martini, Herluinum militem quendam Vindocinensem, cognomento Explora metam, vindidisse nobis sub regimine nunc agentibus domni abbatis Alberti, terram ad IVor boves, liberam totius consuetudinis et redditus, preter VI solidos censum qui ex ea solvitur ad festum decollationis sancti Baptiste Johannis. Consistit autem apud Buziacum, inter terras nostras in Vindocinensi scilicet territorio, et appellatur terra de Manso; emitque eam domnus Ascelinus noster monachus prepositus Buziaci, frater domni Adelardi nostri item monachi, libris IVor et VI solidis precio constante, auctorizantibus Rainaldo senescalo de cuius erat fevo et Rodulfo vice comite de Lusdo de quo idem Rainardus tenebat necnon et Harduino filio Guineberti, cum sorore sua Harduisa, qui et ipse de Rainardo tenebat. Qui Harduinus societatem beneficii nostri in capitulo et XL pro hoc a nobis accepit solidos, et iam dicta eius soror II. De quorum prima auctorizatione quam fecerunt apud Lavarzinium, cum his qui secundam a solo Harduino fieri super altare, quando in nostram societatem susceptus est, viderunt, distincte inferius annotantur testes; his premissis de emptione nostra ab Herluino et auctoramento uxoris eius Odeline quod gratanter fecit in capitulo nostro, suscepta cum eodem viro suo in beneficium societatis nostre, ubi etiam uterque huius modi, Sancto Martino, donationem de parte prescripte terre quam sibi in vita sua tantum retinuerant, fecit ut quilibet eorum prior obierit, partem que se ex eadem terra contigerit, cum his que in ea ab eis excoltaet edificata fuerint, nobis relinquat, et hoc similiter, de reliqua parte posterius morientis fiet. In cuius rei recognitionem IVor denariorum censum ex eadem terra annuatim, ad feriam Blesis, nobis solvent. De quorum venditione et auctorizatione, ecce hi sunt testes. De venditione hii: Beringerius decanus – Hubertus manens - Benedictus Blanchardus – Hubertus matricularius – Bernardus Dives – Morinus cellararius – Constantinus canonicus – Ademarum Tredaldus – Guinerius frater ejus – Balduinus de Manliaco – Giraldus talemerarius – Rainaldus monachus. De auctorizatione Odeline uxoris eiusdem Herluini, isti: Guido homo eorum – Mainardus hospitalarius – Ebrulfus cellararius – Hubertus infirmarius pictavensis – Arnulfus sartor – Gauscelinus de Belvidere. De prima auctorizatione Hardunii filii Guineberti et Advise sororis eius apud Lavarzinum, hi : Arnulfus Chochar – Benedictus Blanchardus – Germanus de Lavarzino – Aurannus famulus – Gauscelinus. De secunda solius Harduini in capitulo isti : Gaufredus, homo ejus – Mainardus hospitalarius – Gaufredus coquus – Otbertus major – Tetbaldus major. De auctoramento Rodulfi vicecomitis, pro quo habuit unum modium ordeï : Fulbertus telonearius – Morinus famulus – Benedictus Blanchardus – Ascelinus Chotardus. De auctoramento Rainardi, pro quo habuit XVcim solidos: Germanus Loripes – Fulcherius de Turre – Salomon filius Ivonis - Morinus famulus – Benedictus Blanchardus. Hubertus filius Rodulfi vicecomitis, acceptis a domno Gauscelino monacho nostro de Buziaco tunc temporis preposito XX denariorum solidis, auctorizavit hec omnia apud Vindocinum, anno ab incarnatione Domini MLXV. Testibus istis : Ingelbaldo Brittone – Wlgrino filio ejus – Hilgodo de Caresmo – Fulcrado filio Gauscelini Bastardi – Gundraco Bastardo – Rotberto Bracheto – Benedicto Blanchardo.